



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

§. I. De Festorum observatione, cum Quæstionibus singularibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

CAPUT III.

De tertio Praecepto, Memento ut diem Sabbathi  
sanctifices.

§. I.

De Festorum observatione.

1. **O**bservatio Festi incipit à medio noctis  
usque ad medium noctis sequentis. Vio-  
latur Sanctitas Diei festi exercendo opera ser-  
vilia, hoc est, quae versantur circa materiam  
externam, & pro Mechanicis haberi solent,  
ut fabricare, aut suture, aut similia, quae re-  
quirunt laborem corporis, qualis ab operariis  
exerceri solet.

2. Illicitum non est diebus festis instrumen-  
ta musica pulsare, iter facere pedibus, equo,  
vel curru: quia haec non sunt servilia. Imò  
licita sunt reliqua ad res ejusmodi necessaria,  
v. g. currum fractum die festo reparare ad iter  
istius diei. *Navar. Tol. Suat.*

3. Licet etiam diebus festis docere, scribere,  
etiam accepto pretio aliquid non multum ope-  
rarum transcribere. Imò licitum esse pingere  
docet *Medina, Lopez, Armilla*, & probabile pu-  
tat *Layman*: de rudibus verò lineamentis die  
festi formandis id plerique concedunt.

4. Servile non videtur ad vitandum otium  
venari, aucupari, piscari, saltem in flumini-  
bus recreationis causâ, ita censent *Gran. Laym.*  
*Bonac.* Idem de puellis ad otium vitandum non  
opero-

456 Pars 3. tract. 5. cap. 3. De tertio precepto.  
operosè acu pingentibus, cum Dianap. 6. cap. 5.  
r. 25. docet Azor. Arm. Sa.

5. Non licet emere aut vendere res non necessarias, negotiari publicè vel privatim, inire contractus emptionis, permutationis, locationis: nisi ex consuetudine, vel aliis iustis de causis excusentur: quia ista intelliguntur nomine mercatus, qui prohibitus est, Cap. 1. de feriis, ut docet Suar. Bonac. Filiucius.

6. Quaritur hic, quæ causæ excusent ab observatione Festorum?

Respondeo, 1. Dispensatio Episcopi, vel potestatem Episcopalem habentis, vel saltem quasi Episcopalem, uti habent Superiores Religiosorum, imò & Parochi quando non datur facilis accessus ad loci Ordinarium.

2. Loci consuetudo: hinc licitæ sunt Nundinæ in festis passim haberi solitæ, & præparationes ciborum etiam non necessariorum, ut placentarum, & similium. Licitæ etiam quibusdam locis sunt emptiones & venditiones rerum, quæ parvo pretio emuntur. Laym. Bonac. aliique.

3. Necessitas propria vel aliena, corporis vel animi: quando nimirum sine gravi incommodo aliquid omitti non potest. Sic excusantur servi & ancillæ coacti à Dominis laborare, nec audentes recusare: si tamen id sæpè contingat, eos deserere debent. Item Pistorum, Lanionum, Coci, Sartorum in operibus necessariis, ut in funeribus, nuptiis &c. si aliter fieri non potest ut satisfaciant. Item Agricolarum, si ob imminentem pluviam fœnum, vel segetes colligere debeant.

Denique excusat parvitas operis, vel temporis, undè grave non videtur unâ horâ laborare,

rare, ita *Suares*, maxime, ut notat *Layman*, si labor non sit servilis nimium, qui brevi etiam tempore corpus fatigat.

7. Peccat qui post usum rationis die Festo non audit Missam, peccat quidem venialiter, si pars parva sponte omittatur: mortaliter vero, si pars sit notabilis, v. g. media, vel tertia pars Missæ. *Layman* tamen & alii quidam non audent mortalis damnare eum, qui tantum ab Offertorio usque ad finem adfuisset.

8. Qui à duobus Sacerdotibus successivè duas Missas audit tantum dimidias, peccat ad minimum venialiter: certè in eo peccatum admittit *Navar. Sa*, *Sotus*, *Henriq. Diana*. Quia talis non audit integram Missam, sicuti præscripta est ab Ecclesia, & sicuti communiter à fidelibus intelligitur, cum illæ potiùs sint partes diversarum Missarum, non constituentes unam in ratione Sacrificii vel actionis sacræ.

9. Multò minùs satisfaciat, qui duas partes Missæ simul à duobus Celebrantibus audit. Nam hic præterea valde irreverenter tractat Sacrificium adeò tremendum, dum tempus pro eo rite peragendo necessarium aut consuetum, non vult impendere etiam ipso die, quem totum Deo consecrare tenetur.

10. Non satisfacit etiam, qui sub Sacro dormit, pingit, docet; vel qui post murum, aut tali loco est, undè nihil audiri, videri, vel notari possit quod in Missa fiat.

11. Satisfacit tamen surdus, cæcus, & qui post ostium, aut columnam, vel in fenestra, vel extra eam ita est præsens, ut ex signis externis colligere possit, quid à celebrante agatur, spectatâ loci naturâ; etsi ipse per accidens nullam Sacerdotis actionem videat vel audiat

458 Pars 2. tract. 5. cap. 3. De tertio p:cepto.  
diat, modò per moralem conjunctionem sit  
pars ejus multitudinis, quæ Missæ præsens dici-  
tur: ita Bonac. aliique.

Quæres, An qui tempore Præfationis accessit  
ad Sacrum audiendum, quod unicum eo die ce-  
lebratur, teneatur audire saltem aliam partem  
sequentem? Negat Ledesma in summa p. 1. cap.  
27. concil. 5. Joannes Sanchez, &c. apud Dia-  
nam in misel. resol. 60. Quia, inquiunt, per  
reliquam partem istius Missæ non potest im-  
plere præceptum, quod requirit Missam suffi-  
cienter integram.

Sed verius affirmat Moya part. postrema se-  
lect. quæstionum, citans suarem, Et Sanchez.  
Quod solidè probat: quia à consecratione us-  
que ad communionem inclusivè continetur  
essentia Sacrificii, cui reliquæ partes sunt tan-  
tum accessoriæ, & integrantes: cum ergo  
principale non sequatur accessorium, sed con-  
tra, planè deducitur illum teneri audire istius  
Missæ partem reliquam, quæ est omnino prin-  
cipalis.

12. Qui ex impotentiâ saltem morali impe-  
ditur exire, aut magnâ difficultate, aut ex no-  
tabili incommodo proprio, vel proximi, vel  
bonorum, vel honoris; non tenetur curare ce-  
lebrari privatim in Altari portatili cum privi-  
legio, aut preces interim alias loco Missæ reci-  
tare, quamvis id consultum sit. Quia non est  
mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ &  
benevolæ matris aliàs impeditum ad ista obliga-  
re: ita Bonac. Navar. Fill. Suar.

Hinc excusantur illi, quibus si exeant ad  
Missam audiendam periculum est gravis offen-  
sionis mariti, parentum, vel dominorum. Henric.  
Suar. Fillucius. Si tamen id ferè semper aut fre-  
quen-

*Pars 3. tract. 5. cap. 3. De tertio precepto. 459*  
quenter fieret, de alio medio laborandum  
esset.

13. Item, quibus gravis est difficultas eundi  
ad Ecclesiam, ob distantiam, v. g. unius vel  
alterius milliaris Germanici, vel etiam mino-  
ris spatii, maximè, si via sit molesta, calum  
pluvium &c. ubi habenda est ratio persona-  
rum, sexus, loci, temporis, & consuetudinis.  
*Bonacina, Suar. Fill. Marchant &c.*

14. Denique si ex consuetudine fœminæ e-  
gredi non soleant tempore luctus, vel etiam  
post partum, excusantur, *Sylv. Cajet.* Aut si  
quis non habeat vestes statui suo convenientes.  
*Navar. Henriq. Sa. Azor. Bonac.*

15. Excusantur à Missa audienda infirmi,  
quando prudenter timent, si Ecclesiam adeant,  
aliquod damnum considerabile in valetudine,  
aut moram in convalescentia. Ita omnes do-  
cere tradit Leander de auditione Missæ *tract. 2.*  
*disp. 2. q. 13.* citans Cajetanum, Navarrum, So-  
tum, Suarem, Bonacinam, Henriquez, Hur-  
tadum, Toletum & plures alios. Excusantur  
etiam convalescentes, quando timent quod  
excundo domo ad Missam incurrant periculum  
majoris morbi, ut supra citati. Quando verò  
de hoc dubitant, consulendus, vel Pastor, vel  
Medicus, vel Superior, vel alius vir prudens,  
nisi ipsemet talis sit, ut in hoc ferre etiam judi-  
cium possit. Manente autem dubio, rectè pos-  
se, illo practicè deposito, non exire domo ad  
Missam ne se exponat periculo majoris morbi,  
docet ibidem Leander cum Bonacina, Trul-  
lenek, Dicastillo, Gesualdo, ibi etiam citatis.  
Alia de sacrificio Missæ diximus supra *p. 3. tr.*  
*4. cap. 4. §. 5. &c.*

Quæres 1. Quid si inter hæreticos multa pe-  
cuniaria

460 Pars 3. tract. 5. cap. 3. De tertio præcepto  
cuniaria imponatur Catholicis in Sacrificio Mis-  
sæ deprehensis, uti sæpius factum in Anglia,  
Hibernia &c.

Respondeo illam non excusare, nisi aliquis  
adeò sit pauper, ut mulcta illa sit personæ aut  
familiæ valdè graviter nocitura.

Quæres 2. An in diebus festis Ecclesiæ liceat  
Catholico inter hæreticos eorum more officii-  
nam suam aperire, & merces vendere?

Respondeo affirmativè, si hoc tantum faciat  
ad damna evitanda, & servandam uniformita-  
tem cum aliis civibus. Quia non est mens Ec-  
clesiæ fideles suos ad claudendum obligare cum  
tanto incommodo & perturbatione, quæ possit  
indè frequenter oriri. Si tamen alicubi consue-  
tudo obtinuisse, ut maxima pars Catholicorum  
officinas clauderet, tenerentur alii se illis  
conformare. Ita etiam resolvit *Lessius in Op.  
posthumo v. Festa, casu 8.*

Quæres 3. An idem dicendum sit de clau-  
dendis officinis Catholicorum quibusdam die-  
bus, quæ apud hæreticos publicæ orationi de-  
dicantur?

Respondeo, Etiam Catholicos illis diebus pos-  
se officinas claudere more hæreticorum, quod  
etiam admittit *Lessius supra*. Quia hoc non est  
signum professionis falsæ religionis, aut cõ-  
peratio aliqua cum ritu hæretico, sed est tan-  
tùm signum obedientiæ & conformitatis politi-  
cæ per actionem ex se indifferentem.

Quæres 4. An si Herus quispiam habens tres  
servos, injungat eis laborem in die festo, assignando  
singulis unicam horam successivè, peccet  
mortaliter.

Fateor difficile esse ex vi hujus præcepti de o-  
pere servili ostendere, ex quâ ratione ille mor-  
taliter

taliter peccet. Primò, non ex eo quod opus servile exerceat, nam supponitur ipse ab opere totus vacare. 2. Non ex eo quod adhibeat alios quorum singuli laborando venialiter peccant: quia inde tantum sequitur illum tot peccatorum venialium causam esse: præbere autem causam pluribus venialibus jussu, consilio, aut consensu, non solet mortale reputari. 3. Nec quia illa opera servilia à tribus exercita dici possint inter se cõalescere; cum sint opera diversarum personarum habentium distinctas obligationes personales, & à se mutuo independentes in ordine ad præcepti observationem. 4. Neque ex eo quod ipsis laborantibus, censeatur ille qui conduxit serviliter laborare; qui potuit toto die in templo rebus sacris vacasse. Sic qui aliis author est ut singuli violent jejunium leviter per modicas comestiones succursivas, quæ ab uno sumptæ constituerent materiam gravem, ille quidem peccat, pro qualitate mali quod procuravit, contra charitatem proximi, nemo tamen dixerit illum frangere legem jejunii ecclesiastici. Negat proinde in casu proposito talem herum peccare mortaliter, Bonacina *disp. 5. punct. 3. num. 4. Et, disp. 2. de peccatis, q. 3. puncto 5.* Ovidus, Trullench, Sanchez, Diana, nec non Pasqualigus *decis. 301.* quos & sequitur Leander à SS. Sacramento *de præc. Eccles. tr. 1. disp. 6. quest. 9.* quorum opinio, uti patet, meritò probabilis censetur.

Respondeo tamen, potius in praxi dicendum esse, talem herum graviter peccare. Quia praxis illa obnoxia esset gravibus incommodis, & sæpè scandalo non levi, si in populo, lucri semper avido, illa invalesceret. Deinde, id quod quis efficaciter mandat, aut suadet fieri per alium,



alium, hoc ipsum plerumque censetur ipse facere in morali æstimatione, cum sine illius mandato aut consilio res non ageretur: hic autem herus moraliter applicat singulorum manus tanquam suum instrumentum ad totam continuationem illius operis. Et Superior prohibens actionem successivam, non tam illius modum, quam substantiam durationis continuatæ spectare solet: & in hoc præcepto peculiare est, quod signanter cadat supra *diem* festum, quod indicat ipsum *tempus* in opere continuatum. Videtur denique praxis illa tendere in fraudem legis de observatione festorum, quæ tali artificio facile eludi & enervari posset: atque ita inducere inter fideles gravem deordinationem, quæ inde facile sequeretur, si ea praxis prolevi noxa haberetur: nam quædam actiones ex hoc solo capite gravis consequentiæ, & periculi, non rarò gravem malitiam contrahere censentur: rationes aliæ magis patescent ex brevi responsione ad sequentiã.

Dices igitur primò, isti servi non peccant nisi venialiter, ergo neque herus aliter peccabit. Respondeo, herum posse peccare, ex dictis, etiamsi illi quorum ministerio utitur, nullo modo peccent, v. g. si utatur operã servorum infidelium præcepto Ecclesiæ non obligatorum, vel etiam fidelium sed inculpate non reflectentium ad diem festum. Sed & concessio antecedente, negatur sequela. Disparitas est, quòd singuli famulorum tantùm parvo tempore laborent, neque unus cooperetur (quemadmodum suppono) labori alterius: Dominus autem injungendo cuivis opus unius horæ, causa est universi operis, cedentis in notabilem profanationem Dici festi.

Dices

Dices secundò, labor ille successivus & divisivus, moraliter non est unus, ergo mandans non peccat mortaliter, sicuti non peccat qui fieri jubet plura mendacia.

Respondeo negando assumptum: nam labor iste fit per plures servos eodem modo, quo fieret per unum, & quidem de mandato ejusdem heri. Ad illationem dico, disparitatem esse: quod peccata venialia non coalescant, eò quòd per ea secundùm se non inferatur grave nocuum proximo, neque gravis injuria Deo; Sanctitas autem Diei festi plurimum violatur per opus servile pro notabili tempore, ut supra ostensum.

Dices tertio, herus non peccaret mortaliter, si famulos juberet laborare simul per unam horam: ergo neque peccabit graviter, si eos jubeat laborare successivè singulos per unam horam.

Respondeo negando sequelam: Disparitas est, quòd in antecedente non laboretur notabili tempore, adeòque non graviter violetur Sanctitas Diei festi, prout sit in consequente: nam spatium trium horarum notabile est respectu unius Diei.

Dices quarto, in hoc casu nec herus, nec famuli propterea multùm retrahuntur à debito cultu Creatori tum exhibendo: neque enim per totum diem operibus cælestibus vacare quis tenetur: ergo &c.

Respondeo, negando sequelam. Et ratio est, quia cum Deus certis diebus velit à nobis specialiter coli, prohibet consequenter ipse & Ecclesia omne opus servile non necessarium pro eisdem diebus, quò nempe expeditiores eatenus sumus ad cultum illum debitè præstandum:

464 Pars 3. tract. 5. cap. 3. De tercio praecepto.  
quinimò ex objectione illa sequeretur, herum  
non graviter peccaturum etsi ipse per tres ho-  
ras consequenter laboraret, si tempus reliquum  
diei festi torum in templo rebus divinis impen-  
deret, quod nemo admittet.

Huic resolutioni à fortiori favet noster *Tole-  
mus* lib. 4. summae cap. 25. n. 2. & *Fagundes* de  
prae. Eccles. citans etiam nostrum *Azorium*  
tom. 2. lib. 1. cap. 28. q. 5. qui docent à mortali  
non excusari qui pluribus diebus festis pro mo-  
dico tempore in singulis laboraret, quod nimis  
rigidum existimo, uti & cum aliis *Bassius*, &  
*Leander* supra citatus, qui etiam liberalius do-  
cent excusandum à mortali qui eodem die festo  
duas integras horas labori impenderet, ubi &  
hic nostrum *Palauum* ait non sine temeritate asse-  
rere nullum Doctorem classicum id docere: hos  
pluresque, etiam in aliis, adire si cui placeat, in  
his quam in istis multò plus Benignitatis inve-  
niet.

§. 2. De Ieiunio Ecclesiastico.

1. **J**eiunium Ecclesiasticum quoad substan-  
tiam consistit in unica per diem comestio-  
ne, cum abstinencia à carnibus, ovis, & la-  
cticiis. Praeceptum jejunii non tantum à Deo  
datum, sed etiam ab Ecclesia impositum, ob-  
ligare sub gravi peccato satis patet ex eo, quod  
Ecclesia tanquam Christi vicaria debeat habere  
potestatem ferendi leges ad fidelium directio-  
nem, quâ jam inde à temporibus Apostolorum  
in certis jejuniis ac festis sub gravi obligatione  
indicendis semper usa fuit.

2. Ad substantiam jejunii non videtur spe-  
ctare certa hora diurnae refectiois, quæ est  
circa